

ORATIO

CVR DOMINVS NO-  
STER IESVS CHRI-  
stus sit vocatus Em-  
manuel:

*Quam*

IN ACADEMIA VVITEBERGENSI  
A.D. 9. Decemb. Anno Christi 1597.  
publicè recitavit

WOLFGANGVS FRANZIVS, PLAVENSIS,  
SS. Theologiae Licentiatus.



VVITEBERGÆ  
Typis & sumptu Simonis Gronenbergij,  
M. D. XCVIII.

CVR DOMINVS NO  
STER IESVS CHR  
I

IN ACADEMIA VITTEBERGENSI  
A.D. Decembris Christi 1797  
C. Theologiae Licentia



VITTEBERG  
Typis & Impensis Simonis Gronowp  
M. D. XCVII



ILLVSTRISSIMIS ET GENE-  
ROSISSIMIS PRINCIPIBUS  
& Dominis,

D. CHRISTIANO II.  
D. IOHANNI GEORGIO, &  
D. AVGVSTO,

Fratribus, Ducibus Saxoniae, Marchionibus Misniae, Landgravijs  
Thuringiae &c. Dominis suis clementissimis.

**I**LLustrissimi & generosissimi Princi-  
pes, Domini Clementissimi, cum hæc  
scriberem eo ipso tempore, in quod in-  
cidit communis & plurquam necessaria  
Ordinum Imperij Romani de vindicā-  
dā patriā nostrā ab exitio præsentissimo, & vastati-  
onibus Turcicis deliberatio, in mentem mihi venit,  
quod apud Esaiam Ecclesia Filij Dei, Domini nostri  
Iesu Christi, comparatur infantulo, sedenti in specu  
aspidum, & ludenti cum basiliscis. Sicut enim infans  
præsentissimo quidem periculo est expositus, & tamē  
non intelligit magnitudinem periculi, in quo versa-  
tur, nec munitus est vlllo præsidio aduersus illos no-  
centissimos serpentes: ita Ecclesia obnoxia est cru-  
delissimorum hostium iniurijs, & tamen multiplices  
artes Diaboli & mundi, quibus oppugnatur, non sa-  
tis vel intelligit, vel perpendit, nec habet manifesta  
præsidia, ad quæ confugere possit, nisi ad solas pro-  
missiones præsentiae & liberationis Filij Dei, Do-  
mini nostri Iesu Christi. Etsi autem hætenus in com-

EPISTOLA

munis patriæ nostræ perniciem varios hostes frustra concitare omnibus suis viribus conatus fuit Diabolus, nescio tamen an non tristissimam conditionem metuere debeamus, hoc ipso tempore, à Turcico Basiliſco, tanquam ab illo potentissimo cornu, quod bella gerit cum Sanctis, & aperte contumeliosum est in Filium Dei, & abolet scripturam Propheticam & Apostolicam, & cogit armis alias gentes ad amplectendam Mahometicam impietatem, adeoque crudeli seruitute premit subditos, vt non modò studia literarum colere non possint, sed etiam sæpè numero spe alicuius mitigationis, Christianum nomen prorsus abijciant, sicut in Græcia & alibi, aut valde corruptam, aut prorsus extinctam tum pietatem orthodoxam, tum honestarum legum doctrinam esse videmus.

Non autem amplius exterarum regiones barbaries illa Saracenica deuaſtat, sed Pannoniã propè oppressã, ipsius Germaniæ limites, ita permittente diuinã vindictã, propter impletam iniquitatem nostrarum mensuram, ingressa est, & nisi DEVS clementissimè auerterit, hoc ipso tempore ceruicibus nostris Ægyptiaca seruitute longè longè tristius jugum imponet. Felicissimis enim & admirandis multorum annorum successibus, & tum alijs, & tum ipsis quoque nostrorum hominum non contemnendis quibusdam vaticinijs ita inflammata est, vt absque dubio extrema



### DEDICATORIA.

rema quæque his ipsis annis aduersus Ecclesias germanicas sit molitura. Extat in historia Auentini, & Turcis quoq; familiarissimè notum esse dicitur, præsagium de Coloniâ, futurâ Turcis pro capite, id est, pro sede regiâ. In hac igitur infelicissimâ temporum conditione nihil nobis solidæ spei relictum esse poterit, nisi in Emmanuele, Domino nostro Iesu Christo, qui indefinenter inuocandus erit, vt publica omnium statuum Imperij contra Basiliscum Turcicum instituta consilia fausta esse iubeat, illisque euentum exoptatum iam tandem benignissimè largiatur. Et hoc tempore, in quod præter anni noui auspiciu, incidit solennis illa consultatio statuum Imperij, vota pro salute communis patriæ seriò sunt repetenda, & vt magis sint pia, & facilius exaudiantur, accedere debet diligens & assidua meditatio concionum de persona & officio Emmanuelis, qui solus tyrannidi Turcicæ frenum iniicere, aut finem etiam constituere potest, nec sinet funditus deleri Ecclesias nostras.

Eiusmodi concionum de persona & officiis & beneficiis summi Regis & Domini nostri Iesu Christi, breuissimâ quidem, sed tamen ex ipsis veritatis orthodoxæ solidis fundamentis repetitâ & explicatam summam & Orationem Celsitudinum Vestrarum augustissimo nomini & illustrissimæ tutelæ, ego quoque nunc temporis humilimè dedico & offero. Etsi

EPIST. DEDICAT.

autem fateor, me CCC<sup>bus</sup> VVV<sup>ris</sup> splendidiora debere grati animi *τεκμήρια* pro summis beneficijs, quibus CCC<sup>num</sup> VVV<sup>arum</sup> illustrissimis (laudatissimæ memoriæ) Parentibus deuinctus sum: tamen ut CCC<sup>nes</sup> VVV<sup>ra</sup> hoc quaecumque subiectissimæ obseruantiaæ symbolum clementissimè accipiant, meaque studia suo illustrissimo patrociniò complecti non dedignentur, etiam humilimè oro.

Dominum nostrum Iesum Christum ardentissimis suspirijs inuoco, ut ipse dimicet pro nobis, & mitiget impendentes calamitates, & hoc periculosissimo tempore CCC<sup>nes</sup> VVV<sup>ras</sup>, totamque inclytam Saxoniae domum, tanquam præcipuam quandam sacri Romani Imperij columnam, diutissimè in magno honore & flore conseruet, Spiritu prudentiaæ & fortitudinis & veræ agnitionis Dei gubernet & confirmet, & omni benedictionum genere cumulet, ad nominis sui gloriam, & Ecclesiae publicam utilitatem.  
VVitebergæ Cal. Ian. Anno incarnati Dei 1598.

CCC<sup>bus</sup> VVV<sup>ris</sup>

*Subiectissimus*

WOLFGANGVS FRANZIVS,  
Plauensis, S. S. Theol.  
Licentiatus.

ORATIO

DE EMMANUELE.

**H**is Ecclesia Filij Dei, Magnifice Domine Rector, Illustres & generosi Domini Barones, Viri Reuerendi, clarissimi, excellentissimi & spectatissimi, & corona studiosorum laudatissima, Etsi, inquam, Ecclesia Filij Dei, his ultimis seculis, est perquam exigua pars hominum, oppressa in mundo & misera: imperia verò plurima eminent, & existimantur esse precipua quadam & florētissima pars generis humani: tamē nos scimus, utrumq; predictum esse verbo Dei, & maiores futuras esse, his ultimis temporū vicibus, Ecclesiarum dilacerationes, tanquam propiora signa extremi iudicij, & tamen Ecclesiam non regi humanis speculationibus, sed colligi ac seruari diuinitus, ac usque ad resurrectionem mortuorum mansuram esse. Videmus, nunc in immensum crescere, & quotidie latius grassari potentiam & tyrannidem Turcicam, ut puniatur mundus propter idola, & propter horribilem profanationem doctrinae caelestis, & propter contemptum Sacramentorum, & propter effrenem licentiam morum. Videmus etiam,  
oriri

## ORATIO

oriri tumultus Principum Christiani nominis inter  
se, & passim gliscere alias civiles discordias, perni-  
ciosas Ecclesijs, & multa florentissima regna partim  
corruiere, partim infirmiora fieri, & magis plena o-  
mnis generis difficultatibus. Utq; Lazarus jacebat  
ad diuitis vestibulum, atq; à diuite negligebatur, &  
ut olim jacebat Christus & Apostoli coram principi-  
bus Synagoga Iudaica, & Israëlita coram Pharao-  
ne: ita nunc in mundo ut plurimum jacet Ecclesia  
afflicta & spreta coram plerisq; regibus & principi-  
bus. Atq; sicut muliercula illa, quæ laborabat ex flu-  
xu sanguinis per 12 annos, suas facultates frustra im-  
penderat in curationem: ita multa sunt Ecclesiæ, quæ  
versantur in erroribus, & infeliciter à principibus  
& doctoribus suis curantur.

Inter tantas calamitates, bella, famem, pestem,  
mutationes regnorum, dissidia de religione, & dog-  
matum confusiones, tamen Deus vult suam Ecclesi-  
am in mundo audiri, & ideo præcipit, ut sit publica  
predicatio, & publica confessio doctrine, & ut in  
pijs congressibus publicà voce tradatur doctrina po-  
steris. Non vult, ut singuli hinc inde dispersi commi-  
niscan-

## DE EMMANUELE.

niscantur proprias opiniones, quarum varietas obruit veritatem, afficit Deum contumelia, & facit infinitas distractiones in genere humano. Nec etiam vult, ut sint secreta conuenticula, in quibus latebra praebeant occasionem corrumpenda doctrinae, sed vult esse publicos cœtus, in quibus unâ omnium voce inuocetur Deus, & formetur iudicia, atq; frenum iniiciatur ingeniorum petulantia & vanitati, & hos congressus magno testimonio ornavit: Vbi-  
cunq; sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ero in medio eorum. Ideo etiam instituit in Ecclesia solennia quaedam festa, in quibus tanquam in panagyribus, plurimi conueniunt, & docentur de miranda gubernatione & conseruatione Ecclesiae. Non vult tales solennitates esse otium dierum, & ferias, & pompas quasdam, sed iubet altaria, hoc est, Ecclesias, ornare frondibus, suauiter olentibus, hoc est, veris & sanctis concionibus de Deo, quibus piorum auditorum mentes recreentur.

Ingens autem Dei beneficium est creatio: multò illustrius, quòd se verbo suo patefecit; sed omnium maximum, quòd misit proprium Filium suum, qui

B

pro-

ORATIO

propter nos homines, & propter nostram salutem  
descendit de caelo, & HOMO FACTVS EST.

Propositio.

Cumq; hoc ipso tempore in Ecclesia proponatur  
historia de incarnatione & beneficijs redemptoris &  
Domini nostri Iesu Christi, cuius diligens meditatio  
amplissimas consolationes pijs mentibus afferre pot-  
est: iccirco & ego, ut aliquod exhibeam gratitudi-  
nis meae erga Filium Dei, & simul sententia mea, de  
ipsius persona & officijs, specimen publicum: illam  
historiae partem, cur Saluator noster sit appellatus  
Emmanuel, hac Oratione complecti volui.

Inuocatio.

Omnipotentem Deum, aeternum patrem Domi-  
ni nostri Iesu Christi, unà cum dilecto illo Filio suo,  
Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto para-  
cleto, oro, propter mediatorem Dominum nostrum  
Iesum Christum, ut mentes nostras Spiritu sancto  
suo gubernet, & accendat in nobis veram & san-  
ctam agnitionem nominis sui, ut ipsum verum &  
unicum Deum sanctè agnoscere, ipsi verè credere,  
ipsum rectè inuocare & colere discamus.

Parasceue  
d rem ip-  
sam.

Multi praecleara, & eximia nomina, & co-  
gno-

## DE EMMANVELE.

gnomina acceperunt vel à devictis regibus & ducibus, vel à captis oppidis & occupatis provincijs, vel à populis jurisdictioni suæ subiectis, vel à studijs sapientia feliciter propagatis, vel ab alijs rebus præclare designatis.

Etsi autem virtutem omnis generis honoribus dignissimam esse, omnes sani fatentur, & non improbandi sunt tituli, qui vel de officij partibus admoneant dominos, vel victoriarum atque potentia & sapientia publica apud exteros, & ad seram posteritatem, sint testimonia: tamen certum est, multorum titulos non laboribus comparatos, sed partim humanâ ambitione, partim amicorum assentationibus excogitados, & literis, fama atq; immortalitati commendatos fuisse. Quemadmodum enim multi pictos leones ostentant in clypeis, & tamen gerunt timidissima leporum pectora, et ut multos videmus deformes dici Absolones, & multos fatuos Salomones: sic multi enumerantur Magni, & tamen ex totâ vetustate vix unum reperies, quem omnium gentium, & temporum, & historicorum mirabilis consensus, & veritatis calculus tanti nominis laude dignissimum esse existimaverit. Longif-

ORATIO.

simè alià ratione comparatum est cum augustissimis  
nominibus Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi,  
qua semper habent res ipsas, & quidem res admi-  
randas, & summas, & nunquam interituras, si-  
bi coniunctas.

Quid sit  
nomen Dei.

Quoties enim sacra scriptura alicuius nominis  
DEI mentionem facit, ita, ut iubeat nos psallere no-  
mini Domini, aut benedicere nomē maiestatis eius,  
aut expectare nomen Domini, toties etiam aliquam  
DEI virtutem, presenti negotio convenientem, ad-  
iungere solet, aut quòd destruxerit inimicum & ul-  
torem, aut quòd non dereliquerit quærentes Domi-  
num, aut quòd exercuerit iudicium & iustitiam in  
terris. Turris fortissima est nomen Domini nostri: ad  
ipsum currit iustus, & exaltabitur: & Omnis qui  
inuocauerit nomen Domini, saluus erit: & Non est  
aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oportet  
nos saluos fieri.

7.  
Causa, cur  
Christus  
dicatur  
Emmanuel.

Initiò autem Christus Dominus noster ideo dictus  
fuit Emmanuel, hoc est, DEVS nobiscum, quia ipse  
unà cum Patre, & Spiritu sancto, est solus & verus  
ille omnipotens, aternus, & immensa sapientia. De-  
us, qui ex nihilo creauit cælum & terram, & omnia  
que.



DE EMMANUELE.

qua sunt in eis. Firmissime enim statuendum est, Christum non saltem dici, sed etiam reipsa & essentialiter esse Deum; non ex gratia, sed ex natura; non factum, sed genitum; non in tempore, sed ab aeterno; non ex nihilo, sed ex ipsa aeterna essentia aeterni Patris; non separatum, sed unum illum & eundem cum Patre & Spiritu Sancto.

Etsi autem nunc mihi non est animus texere longum catalogum probationum sacrae Scripturae: tamen unam saltem delibare proderit, sunt am ex historiae educationis populi Iudaici ex Aegypto. Extra controuersiam hoc est apud omnes, illum fuisse Angelum, qui apparuit Mosi in rubo, eumque misit ad Pharaonem, ut dimitteret filios Israel, & qui tandem ipse praecessit castra Israelitarum, interdiu in columnam nubis, ut deduceret eos per viam, noctu vero in columnam ignis, ut luceret eis.

Hunc autem Angelum non fuisse aliquam creaturam, sed ipsum creatorem, tam manifestum euadit ex capite 3 Exodi, quam quod potest euadere manifestissimum. Ille enim Angelus Exodi 3. dicit ad Mosen, se videndo vidisse afflictionem populi sui in Aegypto, hoc est, se exaudiuisse gemitus & suspi-

Testimonium veteris Testamenti, quod Christus sit aeternus Deus.

ORATIO

via & vota Iudæorum, tanquam populi sui & Ecclesie suae, & se descendisse, ut liberet eos, Et addit aliquoties expresse, se esse Deum patrum ipsius, Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Iacob.

Sicut autem hac nulli creato angelo ullà ratione competere possunt, quia legati obeuntes munia, sibi à dominis suis iniuncta, hoc genere sermonis uti nec solent, nec etiam audent, quod ipsi misereantur, & quod ipsi liberent, & quod ipsorum sint subditi, & quod ipsi habeant nomina suorum dominorum: ita ineptissimum & hoc est, quod Antitrinitarij fingunt, angelum quendam creatum stetisse in mediocrubo, & illum quidem fuisse mutum, sed tamen in illo presentem, & ex illo locutum fuisse Deum ipsum.

Solidissime hæc confutat Esaias capite 63, cum memoriam huius beneficij, nempe eductionis ex Ægypto, & quidem nomine totius veteris Ecclesie Iudaicae, repetit, & celebrat, atq; ibidem distinctè tres quosdam nominat, Iehouam, Angelum faciei Iehouæ, & Spiritum sanctum Iehouæ: atq; inter alia etiam Angelo illi faciei Iehouæ immensas laudes decantat, quod ipse olim saluos fecerit Iudæos, & quod ipse non propter amorem & mandatum alterius, sed  
 propter

## DE EMMANUELE.

propter amorem suum, & propter indulgentiam suam eos redemerit, portauerit, & tulerit cunctis diebus seculi. Itaque aut angelis creatis commendatam esse maximam partem liberrima & spontanea gubernationis Ecclesiae, eosque exaudire vota & preces piorum, & pro suo beneplacito inuocantibus opem ferre; aut certe Angelum quendam non creatum, nec essentiam, sed <sup>ὁμοούσιον</sup> à lehouà seu aeterno Patre distinctum, olim euocasse populum suum Iudaicum ex Aegypto, etiam aduersarij Antitrinitarij fateantur necesse est.

His ipsis, quae dixi ex veteri testamento de aeterna diuinitate Filij Dei, ad stipulatur Apostolus in nouo testamento, qui, (ut in eadem historia educationis ex Aegypto permaneam) Israëlitarum, ex Aegypto exeuntium, ducem constituit Christum, & monet, ne tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt, & à serpentibus ignitis perierunt. Et necessario subaudiendum esse nomen Christi in posteriori membro: ne tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt, scilicet Christum: euidentissime patet ex proximè ibidem antecedentibus, & proximè consequentibus, ubi nunquam aliud repetitur in posteriori membro, quod in priori non fuerat assumptum.

Testimonium noui testamenti, quod Christus sit aeternus Deus, us. 1. Cor. 10.

Obiectio.

Primum

## ORATIO

Primum enim monet Apostolus, ne concupiscamus, sicut quidam eorum concupiuerunt, deinde ne idololatra efficiamur, sicut quidam ex ipsis manducabant & bibebant, & surgebant, ut luderent, nempe circa aureum vitulum, qua detestanda erat idololatria; quasi diceret, ne efficiamini idololatra, sicut quidam ex ipsis, scilicet efficiebantur idololatra, quemadmodum scriptum est: Sedit populus, manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Manifestius hac expositio confirmatur, dum statim subiicit Apostolus: (Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt: Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt) semper repetendo eandem speciem peccati.

Qua igitur insania adigit aduersarios, ut illud coherens membrum per turpissimum solæcismum ita dilanient & obscurent: Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt, scilicet Deum: vel, neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt, scilicet Christum in typo Angeli. Quod enim Apostolus ibidem, 1. Cor. 10. ait, illa facta esse nobis in figuram seu typum; vel prima inspectio & lectio textus conuincit, quod non de Christo, sed de simili-

bus

Obiectio  
ex 1. Cor.  
10. cum  
respons.

## DE EMMANVELE.

bus hominum veteris & novi Testamenti, peccatis  
sint intelligenda, cum è vestigio hoc ipsum sic expli-  
cet idem Apostolus, inquiens: Hæc in figura facta  
sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum,  
sicut & illi concupiuerunt. Christum autem Iudæi in  
deserto non potuissent tentare, si nihil aliud fuisset,  
nisi præconcepta quadam notio in mente Patris sui.

Etsi verò negari non potest, aliorum in-  
numerabilium creatorum angelorum agmina co-  
mitata fuisse Christum, educentem Israëlitas ex  
Ægypto, sicut in Actis Apostolorum, & in Episto-  
la ad Galatas Iudæi dicuntur accepisse legem ordi-  
natam in dispositione angelorum, hoc est, ut E-  
pistola ad Hebræos interpretatur, in conuentu in-  
numerabilium angelorum: tamen certo certius est,  
Christum increatum Angelum etiam creatis illis an-  
gelis præfuisse, tanquam dominum Ecclesiæ angeli-  
cæ & humanæ, unde eruditè de Angelo illo magno,  
Christo, scriptum esse monet Reuchlinus, Exodi 14.  
vers. 19. Et profectus est Angelus angelorum, Mal-  
lach ha Elohim: non sicut alibi, Mallach Elohim,  
sed ha tanquã peculiari signorei magnæ & Angeli  
maximi præter consuetudinem communẽ adiecto.

C

Itaq;

Obiectio  
ex Act. 7. &  
Gal. 3.

Notatio  
Reuchlini  
super Exod.  
14. vers.  
19. ex lib. 3  
Cabulæ.

ORATIO

Verba Iohannis  
Sommeri  
Pirnensis  
Misnici,  
Antitrini  
tarij contra  
Petrum  
Carolum.

Itaq; falsissimum esse colligimus, quod in primis Eubionita veteres & recentes fingunt, Filium esse quidem à Deo illo summo, Patre eius, in nostrâ gloriam & salutē ab omni aeternitate præcognitum, definitum, & definitum, ut tanquam agnus, sanguine suo, in plenitudine temporis, peccata nostra expiaret, esse etiam illum iam olim promissum, & variis typis adumbratum, & esse per illum novissimis temporibus Deum locutum, ita ut eum constituerit Dominum & heredem omnium, & caput Ecclesiæ, sed tamen eum non esse aeternum, aut super omnia Deum, nec semper extitisse, neq; ante natiuitatem suam cum quoquam collocutum fuisse.

Obiectio  
ex Epistola  
ad Hebr.  
c. 1.

Quod enim Heb. 1. multis modis olim locutus fuisse dicitur DEVS Patribus in Prophetis, & novissimis diebus in Filio; nequaquam ita accipiendum est, quasi Filius DEI ante incarnationem, vel ante Abrahamum, vel ante creationem nihil fuerit essenziale, & nihil aliud, quam notio quædam in mente Patris, verum potius, quia sub veteri testamento non ipsam incarnationem, sed saltem umbras habuerunt, & varias imagines, hoc in loco varia umbra tanquam varii modi & res ipsa

DE EMMANUELE.

ipsa seu Filius DEI incarnatus inter se opponun-  
tur.

Et licet haec fundamenta aeterna diuinitatis Fi-  
lij DEI nullis machinis conuelli possint, ita ut non  
indigeamus ullis hominum hac de re prolatis testi-  
monijs: tamen jucundissimum nobis accidit, quod  
in Chaldaicis Bibliorum paraphrasibus & trans-  
lationibus, quae ab ipsis Iudaeis ante natum Chri-  
stum sunt facta, & dicuntur Targum, & non mi-  
nus fidei habent etiamnum apud Iudaeos, quam ipse Targum.  
textus Biblicus Hebraicus, ad quas etiam ipsi in o-  
mnibus ambiguis & difficilibus casibus confugiunt,  
non pauca testimoniorum Biblicorum explicationes  
inueniuntur in hanc sententiam dilucidissima, quod  
Messias sit Deus, dum, ubi in fontibus habetur Ie-  
hona, paraphrasta illi Messiam interpretantur,  
quas nimis longum esset adducere, cum apud doctis-  
simum Petrum Galatinum valde multas, & sua-  
ues legere studiosi possint.

Deinde Dominus noster Iesus Christus ideo quo-  
que dicitur Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus, 2.  
Causa, cum  
Christus  
dicatur Ema-  
manuel.  
quia non tantum est vnus ille verus & aeternus &  
omnipotens Deus cum Patre & Spiritu Sancto,

ORATIO

sed etiam quia ab initio adfuit suae Ecclesiae, eamque  
sanctificavit, & aduersus omnes hostes defendit.

De perpetua  
praesentia Christi  
in sua Ecclesia.

Cum enim Angelus ille Magnus Exodi 3. ex-  
presse testetur, se esse Deum Patrum, Deum Abra-  
ham, Deum Isaac, Deum Iacob, liquidissime con-  
cludimus, illum ipsum condidisse Patres, & perpe-  
tuo ipsis adfuisse. Esse enim Deum Patrum, idem  
est, quod dedisse patribus vitam, motum, omnia bo-  
na, corporalia & spiritualia. Non igitur ex con-  
suetudine principum, quae his ultimis seculis demum  
inualuit, & veteribus est ignota, sed cum Emma-  
nuele, tanquam cum distincto quodam intrinseco, de-  
liberationem instituens Pater, multitudinis nume-  
ro utitur: Faciamus hominem ad imaginem & si-  
militudinem nostram.

Et Emmanuel fuit, qui post lapsum sub meri-  
diem in horto ambulabat, & Adamum non ira, sed  
misericordiae voce, quasi cum gemitu vocabat, A-  
dam ubi es? quasi dixisset, in quam incidisti ex tan-  
ta sublimitate ruinam. Non enim, inquit Basi-  
lius Magnus, querebat doceri, quia cuncta noue-  
rat, sed ex misericordia suggererat, qualis ex quali  
factus esset.

Emma-



## DE EMMANUELE.

Emmanuel fuit, cum quo aliam habuit delibe-  
rationem aternus Deus contra stolidissimos Baby-  
lonicae turris architectos: Descendamus & confun-  
damus linguam eorum.

Emmanuel fuit ille Angelus, qui sese humana  
facie saepissime exhibuit tum aliis Patriarchis, tum  
Abraham, in quercubus Mamre, & qui noctu cum  
Iacobo fuit luctatus, cui etiam Angelo increato a-  
ram extruebat, & vota offerebat Patriarcha, id  
quod creatus angelus nunquam fieri passus fuisset,  
quemadmodum testatum facit notissimum & prae-  
clarum exemplum creati angeli in Apocalypsi.

Emmanuel fuit, quem noctu in campo Sama-  
ria vidit Iacob innixum scalis, pertinentibus us-  
que ad caelum, in quibus Angeli ascendebant & de-  
scendebant, quia ipse est, qui implet caelum & ter-  
ram, ipse est, qui caelum & terram rursus coniungit,  
quae per peccatum erant separata; ipse est, qui mi-  
nisterium angelorum, justitiam, & vitam, & o-  
mnem Spiritus sancti gratiam ad nos demittit; ipse  
est, qui dat Prophetas, Apostolos, Doctores, ad coa-  
gmentationem sanctorum, ad opus ministerij, &  
ad adificationem corporis Christi.

ORATIO

Emmanuel fuit, qui, ut supra dictum est, & sufficienter demonstratum, in egressu Israëlitarum ex Ægypto velut Aquila expandit alas suas super eos, & assumpsit eos, & portavit eos in humeris suis, in terrâ desertâ, & in loco horroris circumduxit eos, & docuit eos, & custodiuit eos tanquam pupillam oculi sui.

Quomodo  
Deus fuerit  
semper  
cum Iudæis

Etsi igitur passim in veteri fœdere Deus cum patribus nostris fuisse, vel in medio Israël requiescisse, aut ignem in SION, & focum in Hierusalem habuisse, id est, tanquam vicinus amicus apud vicinum amicum habitasse, & <sup>egressu</sup> suum habuisse dicitur: tamen hec non nisi per Mediatorem & propter Mediatorem factum fuisse, tum ex illis, quæ attuli, tum etiam inde perspicitur, quod usitatè vaticinia de Messia apud Prophetas tunc repetuntur, quando Ecclesiæ Iudæorum afflictæ auxilium, liberatio, & instauratio contra tyrannos & hæreticos promittitur.

Quando  
Propheta  
reperant  
vaticinia  
de Messia

Nam & in paradiso non aliter erigebantur mentes primorum parentum, nisi promulgatâ suavissimâ promissione de semine mulieris, contrituro caput antiqui draconis: & Abrahamo ex idololatricâ gē-  
tis

DE EMMANUELE.

is Chaldaica Synagoga evocato, terra sancta promissio non contingit, nisi in Semine, in quo benedicenda essent omnes gentes terra: Et imminentem cladem à Babylonijs vaticinans Ieremias, ne de certitudine pollicitationum diuinarum desperarent, Et ne ullum aliud nisi in Mediatore auxilium expectarent, Ecce, inquit, dies venient, Et suscitabitur Davidi germen; Et in captivitate Babylonica Daniel docet, petere auxilium à Deo propter regem seu propter Messiam. Aggeus etiam post exilium Babylonicum cunctabundos, Et in templi atque cultuum diuinorum restoratione segnes hoc ipso modo extimulat, Adhuc modicum, inquiens, ut veniat desideratus cunctis gentibus.

Omniū verò maxime hoc constat ex Esaiæ capitibus 7. Et 8. Nam cum post obitum impij Ozia ignavus Et impius successor Achaz, sua nefanda idololatria, ita in sese concitasset indignationem, Et pœnas diuinas, ut iusto Dei iudicio bellum sauisimū exardesceret contra Ierosolyman, ducibus duobus potentissimis Assyria Et Israëlitarum regibus, Et toti politica *πανολαθρία* imminere videretur, quod hostes essent numero Et viribus superiores: ibi Esaias ex  
instin-

ORATIO

instinctu diuino Messiam ex virgine nasciturum, Emmanuelis nomine vocandum esse predicat. Itaque jubet pios bene sperare, quod hostium conatus essent inanes futuri, & politica Iudaea mansura, ut in ea nasceretur Christus. Huius autem dulcissima consolationis fundamentum inde sumit, quod Messias sit Deus, seu Immanuel. Consultate, inquit, consilium, & dissipabitur verbum: loquimini verbum, & non stabit, quia Immanuel.

3.  
Causa, cur  
Christus  
dicatur Em-  
manuel.

Præterea Dominus noster Iesus Christus ideo quoque dicitur Emmanuel seu Deus nobiscum, quia in plenitudine temporis præter omnium rerum, & contra naturæ seriem, propter nos homines assumpsit naturam humanam, in utero virginis, & HOMO FACTVS EST. Etsi enim immutabilis ordo diuinæ justitiæ postulabat, ut, cum homo peccasset, etiam homo pœnam, lege diuinâ sancitam, in sese reciperet atque moreretur: tamen cum nudus & simplex homo ignem illum consumentem, & tantam molem pœnarum & mortis æternæ sustinere, multò minus mortem abolere, iustitiamque & vitam restituere posset, iccirco ex admirabili misericordiæ & iustitiæ diuinæ temperamento in arcano decreto sanctissimæ Trini-

DE EMMANVELE.

Trinitatis hoc consilium fuit promulgatum, ut a-  
terni Patris aternus Filius carnis & sanguinis par-  
ticeps, & homo, & victima fieret, ut ita Deus ipse  
in naturâ humanâ, sibi personaliter unitâ, crucifigi  
& mori, & per mortem destruere posset eum, qui  
mortis habebat imperium. Hac igitur ratione non  
tantum sufficiens, verum etiam <sup>iusis</sup> pretium  
pro omnium hominum peccatis & pro nostra salute  
fuit numeratum.

Anno ab urbe conditâ 490. Roma in medio foro Similitudo  
maximus & profundissimus & mirabilis factus est  
hiatus, unde fluvius scaturiebat venenosus, subito  
inficiens & extinguens homines. Responderunt au-  
tem consilia petentibus Romanis Oracula, & jusse-  
runt in hiatus proijcere illud, quod Romani habe-  
rent optimum, & quo alias gentes omnes excelle-  
rent. Deventum igitur fuit ad militiam, & sors  
tetigit Curtium, militarium rerum experientissi-  
mum hominem, quem tota civitas obsecrauit, ut pro  
salute Romanorum, & auertenda pestis gratiâ, in  
hiatum descenderet, & sua morte iratos Deos pla-  
caret.

Longè aliud, & infinitis modis prestantius est  
D benefi-

ORATIO

beneficium, quod Filius Dei propter spiritualem pestem ex caelis descendit in inferiora terra, neq; mansit in morte, sicut Curtius perijt in specu, nec tantum claustra Erebi destruxit, sed etiam redijt in vitam, & nobis caelos aperuit. Et hoc est, quod D. Bernardus scriptum reliquit, multum laborasse Christum in redemptione, nec in ipsa mundi fabrica tantam fatigationem sustinuisse. Nam, inquit, in creatione dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt; in redemptione vero in dictis sustinuit contradictores, in factis observatores, in tormentis illusores, in morte exprobratores.

Bernhardus

De desiderijs piorum in veteri Testamento

Nullis autem verbis satis exponere possum, quanto desiderio huius ineffabilis mysterij consummationem omnes pij in veteri Testamento expectarint, & à Deo petiuerint.

Prima die  
Sio Bibliorum  
id est,  
In principio  
pio: resoluatur & fient  
dicit, &  
id est, filij  
vobis dabo  
scu prope  
nam, Postea

Nihil dicam de Caino, quem Eua putabat futurum esse Messiam, unde sese virum Dei possedisse exclamabat. Nihil dicam de Noah, de quo parentes hanc spem concipiebant, quod iste consolaturus eos esset ab operibus & laboribus manuum in terra, cui maledixerat Dominus, ut scribitur Genes. 5. Nihil dicam de Abrahamo, qui gaudebat videre diem

## DE EMMANUELE.

diem Christi, quem etiam vidit in spiritu: nihil de alijs regibus & Prophetis, de quibus Christus ait, quod desiderio desiderauerint videre illud, quod videbant discipuli.

Nemini sunt ignote communes illa totius veteris Ecclesiae preces: Domine inclina caelos tuos & descende: Utinam dirumperes caelos & descenderes: Rorate caeli de super & nubes pluant Iustum, aperiat terra & germinet Salvatorem. Haec & similia suspiria quotidie solebant miscere operibus sacrificiorum, & reliquarum ceremoniarum, tanquam umbrarum. Tantum enim absuit, ut sanguine hircorum & caprarum, & vaccarum, & ouium sese abluere & mundari a peccatis posse crederent, ut potius eo ipso & vestes & corpora sua inquinari oculariter viderent.

Et hinc factum est, quod nec nomen IESU in veteri Testamento ignotum fuisse probat in suo libro locorum praecipuorum fidei Christianae, Philosophiae ac Medicinae quidam Doctor, ex Iudaismo ad fidem Christi conuersus, Paulus Weidnerus. Rabbeni enim Haccados, id est, sic appellatus doctor sanctus, qui vixit tempore Consulatum Romanorum ante natum Christum, in libro, cuius titulus est, Gale-

hinc eliciuntur san-  
4000. que  
anno mudi  
baptisatus  
est Christus,  
de qua re  
etiam in  
tractatu  
quodam de  
Trinitate  
contra Ioh-  
hannem  
Sommes-  
rum, Antie-  
trinitario-  
um, aliquid dicitur.

Nomen Iesu fuit notum in veteri Testamento.

ORATIO

Razeija, id est, Revelator secretorum, Antoninum  
 consulē alloquēs, hac de illo nomine inter cetera dicit:  
 quia Messias homines saluabit, vocabitur IESVAH.  
 Et, teste eodem, reperiebant nomen Iesu, dum ac-  
 cipiebant primas literas harum dictionum Gen. 49.  
 יבא שילה וכו' Iauo, Silo, Velo, donec venerit Siloh, &  
 ei erit expectatio gentiū. Initiales enim literae sunt  
 י ש ו, quae suo concursu efficiunt vocabulum IESV.

Nomen Ies-  
 u notum  
 fuit Sibyl-  
 is apud  
 Ethnicos.

Etiam Cis-  
 iero talia  
 Sibyllinica  
 Armenia  
 um admi-  
 ratione Ies-  
 u, ut appa-  
 ret ex 2. de  
 Iuvin.

De incarna-  
 tione Fi-  
 lii Dei.

Atq; Sibyllas etiam ante natum Christum ex  
 priorum Patrum doctrinā gustum aliquem nomi-  
 num Messiae habuisse vel ex unā quadam patet E-  
 rythreā dicta, cuius mentionem facit Augustinus  
 de ciuitate Dei, quae aliquot Gracos versus conscri-  
 psit, qui adhuc hodie extant, quorum versuum pri-  
 mae litterae reddunt hunc titulum *Ἰησοῦς Χριστὸς υἱὸς θεοῦ σωτὴρ*:  
 Iesus Christus Filius Dei Saluator.

Sed his missis, nos scimus & piē credimus, quod  
 Verbum consubstantiale aeterno Patri & Spiritui  
 Sancto, in tempore factum sit caro, hoc est, veram  
 & integram humanitatem, corpore & animā ra-  
 tionali constantem in unitatem personae suae assumse-  
 rit, assumendam praeueniens, non praesistentem as-  
 sumens, ne personam assumpsisse videretur, ut loqui-  
 tur Damascenus. Non



## DE EMMANUELE.

Non autem ita factus est λόγος caro, quasi Deus esse desierit, vel quasi diuinitas in humanitatem sit conuersa & mutata, sicut aqua in uinū in Canā Galilææ: vel quasi ex spiritali essentiā patris decisā de cælo secum attulisset carnem, ita ut ipsa fructus ventris virginis re ipsa non esset, sed tantum hospes, qui per uirginem tanquam per canalem ad nos, sed non ex nostrā speciei & substantiā hominibus prouenisset.

Quid sit,  
λόγος  
factum esse  
carnem.

Nec ita factus est λόγος caro, quasi phantasma saltem aut spectrum fuisset ipsius caro, quæ etiam non habuisset proprietates & affectiones ueræ carnis, non uerè fuisset certis dimensionum siue naturæ suæ terminis inclusa & circumscripta, nec potuisset uerè edere, bibere, crescere, esurire, sitire, defatigari, dormire, flere, sudare, contristari, crucifigi, mori, sepeliri, uideri, & manibus hominum sese palpandam præbere.

Neq; ita factus est λόγος caro, quasi una natura alteri solummodo per quandam nudam assistentiam adsit, ita ut altera sola agat, altera sit saltem loco instrumenti, quo agens utatur; nec ita, quasi λόγος tantummodo generali sustentationis & gestationis

ORATIO

actione naturam humanam sustentet & gestet, sicut sustentat & gestat Petrum & Paulum, & nos omnes, & alias quoque creaturas, ne in nihilum redigantur, quia sic infinita fierent uniones personales λόγος & creaturarum.

Nec etiam ita factus est λόγος & caro, quasi diuinitas suas essentielles proprietates deposuisset, vel exuisset, & in carnem tanquam in aliud subiectum transfudisset, ut cum liquorem ex uno vase in aliud transfundimus: vel quasi humanitas sua essentialia idiomata amisisset, quae tamen etiam post resurrectionem & ascensionem in caelos retinuit, & in omnem aeternitatem retinebit.

Propria enim humanitatis, ut, habere corpus solidum & palpabile, certam & finitam omnium membrorum proportionem & circumscriptionem, partem extra partem, pati, crucifigi, mori, nunquam sunt Deitatis propria. Similiter propria Deitatis, esse aeternum, increatum, infinitum, non circumscriptum, immensum, omnipotentem, omniscium, humanitatis idiomata nec in aeternum usque fient.

Sed ita λόγος & factus est caro, quod definito tempore in utero matris de substantia virginis massam  
ali-

## DE EMMANVELE.

aliquam Spiritus Sancti virtute formatam & sanctificatam ita sibi copulavit, ut assumens & assumpta natura, arcano & imperscrutabili modo, & arctissimo atq; aeterno & ineffabili vinculo sint unis <sup>ἰφιστάμενον</sup>, sine omni quidem naturarum & proprietatum naturalium atq; essentialium confusione & commixtione, conuersione & mutatione, atq; abolitione: at interim non sine arctissima naturarum ad se inuicem <sup>κοινωνία</sup>: unde non verbali, sed reali, siue vera predicatione reciprocè dicimus: Filius Dei est filius Mariae, Filius Mariae est filius Dei: & Filius Mariae est creator caeli & terra, item Germen Davidis est Iehouah, &c.

Ex hoc unionis hypostatica ac inde resultantis naturarum <sup>κοινωνία</sup> fonte fuit communicatio idiomatum, tanquã effectum quoddam, constans multis propositionibus, quibus utimur, cum de Christo loquimur, quae tamẽ non omnes sunt unius & eiusdẽ modi.

Etenim saepe quae sunt unius tantum natura propria, tamen alteri in concreto, seu vocabulo significante personam, tribuuntur, unde dicimus, Dominũ gloriæ crucifixum esse. Etsi autem Deitatem in abstracto, vel ratione mutabilitatis cuiusdam vel

alio

De tribus generibus communicationis idiomatum.

O R A T I O

alio etiam crasso modo crucifixam esse pernegamus,  
 quia diuina monumenta uocabulis distinguentibus  
 utendum esse docent, de Christo passo in carne: ta-  
 men etiam reijcimus ἀπορίῳ Ζυuinglianam, quam  
 D. Lutherus passim depingit, quasi concretum in his  
 propositionibus nō verè contineat totam personam,  
 sed tantum accipi debeat pro altera natura, quasi  
 pateretur Deus non verè propter personæ unitatem,  
 et inde secutam mutua[m] priorum ἀντιδοσίῳ ἔσ̄ par-  
 ticipationem, qua Deus particeps dicitur esse factus  
 carnis ἔσ̄ sanguinis, ἔσ̄ κατ̄ ἰδιοποιίῳ, ut veteres loque-  
 bantur, sibi humanitatis Idiomatica appropriasse, sed  
 tantum ὁμωνύμῳ, uerbotenus, ἕως ἔσ̄ respectu nudo à  
 carne ad λόγον facto, sicut uiolato legato uiolatur  
 princeps, ἔσ̄ sicut Paulus suas passionēs uocat pas-  
 siones Christi, cum omnino, etsi diuinitas non patitur  
 in se, tamen ea persona, quæ non homo duntaxat,  
 sed ἔσ̄ Deus est, patiatur, in suâ tamen humanita-  
 te.

Sæpius etiam ἀποτελιόμενα officij, ἔσ̄ alia opera  
 tribuuntur toti personæ in concreto, ubi licet ipsa  
 naturarum singularum actiones concurrant, tamen  
 iuxta Leonis notissimum canonem, una natura agit  
 cum

## DE EMMANUELE.

cum communione alterius naturæ, quod suum est. Hinc est, quod dicimus, Christum esse nostrum Mediatorem, redemptorem, regem, summum Pontificem, caput, & pastorem, non secundum alterutram, sed secundum utramque naturam, quia persona non agit in unâ naturâ, cum unâ naturâ, per unam naturam, sed in utraque natura, cum utraque natura, per utramque naturam, sicut etiam Chalcedonense concilium dicit: una natura agit seu operatur cum communicatione alterius naturæ, quod cuiusque proprium est.

Denique, etsi caro λόγος habet creatas dotes, quoad numerum & excellentiam, supra omnium angelorum & hominum dona, tamen, quia scriptura ei etiam in abstracto, sed non extra unionem, adscribit divinam gloriam & gratiam, cum docet, Christo datam esse potestatem exercendi iudicij, quatenus est filius hominis, & quæ alia sunt in hanc sententiam multa, utique, propter unionem hypostaticam, in tempore Christi carnem præter illas suas naturales, essentialis, & gratuitas habituales dotes, divinas prorsus dignitates accepisse fatendum erit.

Etsi igitur Christus duas habet toto genere

E

quàm

ORATIO

Qualis sit  
natio duas  
unum natu-  
rarum in  
Christo.

quàm maximè diuersas & inter se distinctas natu-  
ras, tamen non duo in duabus personis, sed unus est  
Christus in unâ, eademq; individuâ personâ, unione  
intimâ & presentissimâ, ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως, qui-  
dem, sed tamen etiâ ἀδιωρέτως καὶ ἀδιασάτως, ita ut λόγος  
non modò sustentet suam carnem in sese tanquam in  
Deo & in Verbo suo, sed ei totum sese communicet,  
& in eâ tota luceat, sicut anima corpus, ignis fer-  
rum penetrat, & undiq; ei sine confusione seu alte-  
rius natura abolitione commiscet, quemadmodum  
veteres sano sensu has similitudines usurpare fue-  
runt soliti.

Humana etiam Christi natura velut accensa  
lumine toti λόγῳ unita est, nec tantum partem ali-  
quam τῆς λόγου attingit, aut parti eius adheret, sicut  
digitus parti corporis, clauus rota, planeta orbis, ci-  
uitas maritima immensi Oceani. λόγος enim nul-  
las habet partes, multò minùs partē extra partem,  
sed totus est ubique, & in quolibet loco, ut etiam in  
utero totus, & ita toti λόγῳ arctissimo nexu in ute-  
ro virginis massa humana fuit copulata, ut totum  
sese carni communicauerit λόγῳ, & sic in carne as-  
sumpta corporaliter inhabitet tota plenitudo diui-  
nita-

DE EMMANUELE.

nitatis. Id quod superat omnem omnium hominum & angelorum sapientiam & eloquentiam. Ac re vera hoc est magnum & admirabile opus, & stupore plenum, quod caro nostra sursum sedet, & adoratur ab Angelis & Archangelis, & Cherubin & Seraphin, id quod ego saepius mente meâ versans, ait Chrysostomus, excessum patior, & maiora de genere humano imaginor, maiora quippe video & clara exordia, multum Deo festinante pro naturâ nostrâ.

Non enim putandum est, planè nullam aliam esse inter duas naturas unionem & inde profluentem idiomatum communicationem, quàm verba-  
lem, commentitiam, imaginariam, & phantasticam, & quidem talem, quæ est nuda prædicationis formula, non nisi in titulis consistens, & re ipsa non toti personæ, sed tantùm naturæ alteri seorsim aliquid attribuens, qualis est Zwingliana & x<sup>o</sup>is Sacramentariorum, quam Doctor Lutherus rejicit, & Lutherum secuta Formula Concordiæ, ut & visitationis Saxonica antithesis secunda, de personâ CHRISTI; ad quæ symbolica harum Ecclesiarum scripta me quoque refero: quia

Qualis sit  
communis  
catio idio-  
matum.

ORATIO

hac ratione Maria non peperisset Deum, nec Iu-  
 dai crucifixissent Dominum gloria. Neq; etiam  
 cogitandum est, talem factam esse unionem, & in-  
 de dependentem idiomatum communicationē, quasi  
 Deitas humana natura nouam omnipotentia qua-  
 litatem, & ab essentiali suā omnipotentia diuer-  
 sam, creasset & donasset.

Nec etiam existimandum est, factam esse cras-  
 sam aliquam & Physicam naturarum commixtio-  
 nem, & hinc dependentem essentialem aut natura-  
 lem effusionem proprietatum diuinae natura in  
 naturam humanam; ita ut Deitas esset spoliata &  
 exinanita suis essentialibus proprietatibus, vel  
 suam maiestatem extra se in aliud subiectum Phy-  
 sico modo effudisset; eamq; à diuina essentiā separa-  
 tam in sese accepisset humana natura, tanquā sub-  
 iectum & vehiculum quoddam, & hac ratione in  
 diuinam quandam naturam conuersa, vel certè di-  
 uina natura exaequata; unde non amplius in Chri-  
 sto esset *ἀλλοθεν ἀλλο*, neque proprietates & actiones  
 & passiones omnes, quae toti personae tribuuntur, ori-  
 ginaliter alteri naturae competere possent, nec dici  
 posset, Christum passum esse carne. Et hunc con-  
 fusio-



## DE EMMANVELE.

fusionis Physicæ errorem adeò manifestè & graui-  
ter reijcit Formula Concordiæ, dum Physicam na-  
turarum & idiomatum commixtionem, æquè atque  
verbalem communicationem, repudiat & conde-  
mnat, ut mirū sit, aduersarios nihilominus semper  
antiquas accusationum occinere cantilenas de Phy-  
sicæ idiomatum confusione in nostris Ecclesijs appro-  
batà. Quo enim pacto carnem assumpsit  $\lambda\omicron\gamma\theta$  in u-  
nionem personæ, eo quoque pacto eandem assumpsit  
in personalem  $\kappa\omicron\upsilon\upsilon\omega\nu\iota\alpha\pi$  suorum idiomatum, & sua-  
rum operationum, sine omni exæquatione natura-  
rum, proprietatum, voluntatum & operationum,  
ita, ut, licet caro concurrat ad  $\kappa\omicron\upsilon\upsilon\omega\nu\iota\alpha\pi$  proprietatū, et  
ad  $\acute{\alpha}\pi\omicron\tau\epsilon\lambda\acute{\epsilon}\sigma\iota\mu\alpha\tau\alpha$  diuina, non ea duntaxat operan-  
do, quæ suæ naturæ sunt propria, sed de diuinis etiā  
verè participando, tamen diuina  $\iota\upsilon\epsilon\gamma\gamma\alpha\sigma\iota$  non fiant  
naturales actiones carnis, sed dependeant ex unio-  
ne personali.

Realem igitur verbali, non verbalem Physicæ  
idiomatum communicationi opposcentes, rectissimè  
dicimus, realem, non verbalem, nec etiam Physi-  
cam esse idiomatum communionem. Cū enim non  
verbaliter, non Physicè, sed tamen realiter seu verè

O R A T I O

quidem unita sint duae naturae, necessario etiam sequitur, non quidem verbalem esse, nec etiam Physicam idiomatum communionem, & tamen realem & veram, quia non imaginariè, neque crasse, & tamen reipsa DEVS est passus, quia λόγος & caro, in qua passus est Deus, non imaginariè, nec etiam crasse, sed reipsa sunt unum ὑφιστάμενον.

Et ideo caro Christi non in sese abstractivè, & simpliciter, & seorsim considerata, sed in λόγω & in unione personali subsistens, realiter seu verè confors est facta omnis plenitudinis Deitatis, & maiestatis infinita, omniscientia, omnipresentia, virtutis vivifica, & omnis potestatis, quae est in caelo & terrà, super omne, quod nominari potest non tantum in hoc, sed etiam in futuro seculo. Quicquid enim datum est Christo in tempore, illud ei secundum carnem datum esse intelligitur, iuxta Athanasium. Data igitur ipsi est omnis potestas in caelo & in terra: &, Omnia sunt subiecta pedibus ipsius: &, Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius: &, Dedit ipsi Spiritum nō ad mensuram: &, Dedit ei potestatem iudicij, quatenus est Filius hominis.

Quod

## DE EMMANUELE.

Quod autem obijciunt, τὰ ἰδία Deitatis esse ἀνοικῶντος, nec posse dici ἰδία, si ea assumta & humanitati communicata esse dicamus, verum esset, si ea hac ratione carni infundi fingeremus, ut Deitatis esse desinerent, & humanitati, ut proprio vehiculo, inesse inciperent. Aliud enim est, ex unione personali accepisse ἰδία idiomatum Deitatis, aliud suscepisse diuina idiomata ita in sese, ut tanquam forma & proprium eius facta essent. Posse autem aliquid citra omnem effusionem & confusionem, communicari alteri, annon plus satis planum & testatum facit anima cum corpore naturalis coniunctio, unde etiam digiti usum accipiunt rationalium operationum, ut paulò post patebit.

Obiectio  
1. contra  
communis  
cationem  
realem  
cum res  
sponse.

Quod etiam aiunt, finitum non posse esse capax infiniti, simili modo verum esset, si fingeremus, idiomata Deitatis ex λόγῳ euacuato infundi in carnē, ut non amplius λόγῳ, sed caro λόγῳ seorsim illorum, constitueretur vehiculum. Id quod tam à nobis est alienum, quàm quod potest esse alienissimum. Cum enim publicè notum sit, D. Lutherum aequè repudiare Eutycheam confusionem atque Nestorianam divisionem, queso, quo iure illi, qui Lutheri vestigia se-

Obiectio  
2. contra  
communis  
cationem  
realem,  
cum res  
sponse.

ORATIO

sequuntur, Eutychianismi vilius accusari poterunt.

De omni  
praesentia  
Christi.

Etsi verò in statu exinanitionis hanc suam Deitatis plenitudinem Christus non ita exerebat planè, & plenè, & semper, quòd etiã ipsum Verbũ tunc in carne sua, ut Irenæus loquitur, requiesceret: tamè nunc, postquã consedit ad dextrã æterni Patris, & euectus est ad summũ dignitatis, potentia, gloria & honoris fastigium super omnes angelos & homines, tanquã consors imperij paterni, plenè omnem in cælo & in terrã potestatem & gubernationem, & quidem non absens, sed praesens obtinet. Scriptura enim manifestè Psalm 8. Christo etiam secundum humanitatem ut Domino affirmat subiecta esse omnia, ac nominantur in illa subiectione pecora campi, volucres cæli, pisces maris, & quaecunq; sunt alia opera manuum Dei, siue sint in cælo, siue in terrã, siue sub terrã, hostes etiam Christi, Diabolus, mors & infernus.

Neq; autem uni loco cæli ita immotam affigere debemus humanitatem, quasi liberrimè versari & apparere non possit, ubicunq; velit, quia reuera hoc esset carceribus includere corpus Christi. Neque statuere debemus, quasi infinitis locorum plus quàm  
infi-

DE EMMANVELE.

infinitorum intervallis & spatijs semper absens à nobis distet ad ultimum usq; diem. Neque etiam corpus Christi eodem modo, quo divinitas, ratione essentia aut essentialis cuiusdam communicata proprietatis, ubique diffusum & extensum, vel prorsus divinitati exaequatum est, vel aliàs immensa cuiusdam molis factum, & exutum suà formà, staturà, quantitate, longitudine & latitudine, sed illam retinet tantam, quantam in statu exinanitionis habebat, neque unquam induit vel induet immensitatem quandam, qua in uniuersa loca localiter extenderetur, & monstrosè expanderetur in omnes regiones aëris, tanquam latissima nebula, quia reuera hoc quidem esset corpus, sed non verum corpus humanum, & nostris corporibus per omnia simile.

Neque caro Christi inclusa est omnibus creaturis, lignis, lapidibus, ossibus, folijs, graminibus, soli, luna, stellis, cantharis, & locis etiam impuris. Non etiam humanitas Christi vel excluditur à dominio omnium creaturarū, vel seorsim & separata à λόγῳ dominatur omnibus creaturis, sed unà cum λόγῳ, & in ipsa unione, ubiq; presentissima, omnia operatur, regit, & sustentat & seruat, hostes quoq;

F

Eccle-

## ORATIO

Ecclesia potenter reprimit, Ecclesiam defendit, liberat, exaudit, saluat.

Sicut enim anima mirabili modo tota est in toto corpore, & simul tota in qualibet parte, ita ut minimi digiti extremus articulus toti animæ verè, & realiter, & naturaliter uniatur, eiq; communicet usum suarum proprietatum, unde vel numeros distinguere & notare, vel varios sonos in instrumentis Musicis, non ex sua bruta natura, sed ex naturali unione animæ formare potest: ita λόγος ubiq; totus est, & in qualibet parte totus, & ubiq; presentissimas sibi habet omnes creaturas, quia omnia ipsius respectu, & coram ipso, sunt, ut guttula aquæ, quæ manet fortè fortunà in urceo, postquam tota aqua effusa fuerit, imò ut momentum statera, & ut atomus, sicut Esaia 40 docetur.

Cumque humanitas Christi personaliter unita sit, non particula λόγος, quia nec particulam habet extra particulam, sed toti λόγος, qui à carne sua nullibi separatur, ne unio personalis dissolvatur: iccirco etiam humanitas non per se, sed in λόγος considerata, non simpliciter, sed propter unionem personalem coram se in λόγος presentes habet omnes creaturas,

## DE EMMANUELE.

turas, & hac ratione in λόγῳ illis omnibus ubiq; præ-  
sens dominatur, & sic verè est Emmanuel, & in pri-  
mis adest suæ Ecclesiæ, cui sese speciali modo affutu-  
rum promisit. Huc respexisse mihi videntur vete-  
res, quando imaginem Christi infantuli recens na-  
ti & teneri depinxerunt, ita, ut alterâ manu gestet  
pomum rotundum, quo tota terra, quæ est Sphærica,  
significatur, quam totam Dominus noster IESVS  
Christus manu suâ omnipotente gestat & sustentat.  
Id quod absque dubio ex Esaiæ capite 40 desumptum  
est, ubi Propheta vaticinatur de Messia, & inter  
alia de eo dicit, quòd sedeat super Sphæram terræ.

Carnem igitur Christi non propter assistentiam  
nudam, aut nudam qualemcunque inhabitationem  
τῷ λόγῳ, & sic per nudam phrasin, nec etiam propter  
crassam & physicam aliquam infusionem idioma-  
tum Deitatis, sed per & propter unionis hypostati-  
cæ, etiam ipsis angelis ineffabile mysterium, re ipsa  
ut λόγῳ, ita quoque eorum, quæ sunt λόγῳ, omnipoten-  
tiæ, & omniscientiæ diuinæ, virtutis viuificæ, & o-  
mnis gloriæ diuinæ participem factâ esse piè credi-  
mus. Id quod & plurimum facit ad dignitatē Me-  
diatoris nostri, & in primis conducit ad Ecclesiæ af-  
flictæ firmissimas consolationes.

De omni-  
potentiâ,  
omniscien-  
tiâ, virtute  
viuificans  
di, potestas  
re iudicij,  
& adoratio  
one Christi

## ORATIO

Itaque caro nostra unita λόγῳ, & frater noster, vi unionis personalis, ita sedet ad dextrā eterni Patris, ut omnia, quaecunque vult, & quae ad gloriae suae illustrationem pertinent, potenter efficiat in caelo & in terra; sicut etiam hac ratione resuscitabat mortuos, aquam conuertebat in vinū, uno verbo etiam absentes pristinae sanitati restituebat. Praeterea caro illa nostra praeter humanum illum suum intellectū, omnibus modis saluum & incolumem perpetuò manentem, & quo crescebat & roborabatur: ita semper, mediante unione hypostatica, plena fuit sapientia, & ita unctā oleo letitiae, praesens consortibus suis, & ita super ipsam requieuit Spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiae & pietatis, & ita in ea fuerunt & sunt absconditi omnes thesauri sapientiae diuinae, ut non tantum exploratas habeat externas nostras misérias, sed etiam intimas conscientiarum latebras, & nouerit res alias omnes in caelo & in terra, & exaudiat vota & gemitus supplicantium, quae ratione etiam absentes a sinas prospiciebat, & scrutabatur prauas cogitationes & latentem hypocrisin hostium, & discipulis pra-



## DE EMMANUELE.

predicebat omnia, quæ consummari debebant, scripta per Prophetas de ipso, quòd debebat tradi gentibus & illud & flagellari & conspui & occidi & tertia die vicissim resurgere.

Ipsa etiam vi eiusdem unionis personalis in ultimo iudicio reuocabit mortuos in vitam, & resuscitados iudicabit juxta Euangelium suum, & occulta etiam tenebrarum producet in apertam lucem, & incredulos hædos constituet ad sinistrã, sed credulas oues ad dextram, & illis decernet æterna supplicia: his verò æterna præmia distribuet. Et ibi melius intelligemus, nos nõ merè humano sanguine, sed sanguine personaliter unito τῷ λόγῳ fuisse ad eò potenter emundatos ab omnibus peccatis, & liberatos ab ira Dei, à morte æterna, ab inferno, & à Diabolo, & viuificatos & sanctificatos ad vitam æternam.

Quæ cum ita sint ( nec autem aliter sese habere possunt, ne mysterium unionis hypostatica vel dissoluatur, vel saltem euacuetur ) quis, nisi ab omni Christianã pietate alienissimus, & petenda à Mediatore Deo & Homine bona omnia necessaria, & ei dẽ pro acceptis beneficijs gratias agendas esse dubitaret? non quòd caro seorsim invocari debeat, sed

## ORATIO

quod, sicut factum est in reliquâ Dei gloriâ: ita hic propter unionem unâ adoratione dirigenda sint preces ad totum Christum, non seorsim invocatâ, nec tamen exclusâ carne, ita, ut non adoretur in sese, nec per sese, sed in λόγῳ, ἔσ' λόγῳ in illa, propter personæ unitatem.

Obiectio 1.  
cum res  
sponse.

Ex his verò omnibus nemo aliquâ evidenti consequentiâ colliget, introduci vel exæquationem, vel confusionem aliquam duarum naturarum in Christo. Nam essentielles proprietates utriusque naturæ, etiam in ipsa unione ἔσ' propter unionem, graviter distinguimus, nec unionem nominari ἔσ' subsistere posse dicimus, nisi ita essent duæ diversæ, ἔσ' diversis proprietatibus constantes naturæ inter sese coniunctæ.

Obiectio  
2. cum res  
sponse.

Deinde nequaquam divine illius gloriæ communicationem carni, per effusionem ἔσ' euacuationem divine naturæ, vel per æternam aliquam ex ipsa patris essentia generationē, contigisse putamus, ita, ut eam seorsim à λόγῳ haberet, qua ratione omnia opera tantum carni, hoc crasso modo deificatæ, competere, ἔσ' λόγῳ ab illis excluderetur. Verum quicquid carni, tum sacræ literæ, tum vetusti Patres adscri-

## DE EMMANUELE.

adscribunt, id omne tantum propter unitum λόγος  
ei competere, & tantum ex unione personali depen-  
dere, sine omni naturarum & idiomatum Physica  
confusione, credimus.

Neque verò Dominus noster Iesus Christus ideo  
tantum dicitur & est Emmanuel, quia est verus  
Deus, & ab initio adfuit Ecclesie, & in plenitudi-  
ne temporis assumpsit massam humanae naturae, ve-  
rum etiam, quia protulit ex sinu aeterni Patris Eu-  
angelium, & reuelavit nobis voluntatem Dei, &  
conseruat ministerium, & est efficax in his, qui cre-  
dunt Euangelio. Certò enim hoc ab omnibus con-  
stituatur, omnes esse cultus idololatrias, quicunque  
sine mandato Christi sunt instituti, et ut cultus pla-  
ceant Deo, necessarium esse, eos verbo praescribi ac de-  
finiri. Nihil autem opus erat dari verbum, si ra-  
tio per sese Deum apprehendere posset, aut si place-  
rent cultus, iudicio & arbitrio hominũ exogitati.  
Ingens autem hoc est Emmanuelis beneficium, quòd  
tradit à doctrinà instituit ministerium, in quo fide-  
les doctores, quorum laboribus ipse benedicit, sunt  
σύνεργοι θεῷ. & ad Deum auditores non contumaces  
adducunt, ut eos regeneret, illuminet, et saluos faciat.

Non

4. Causa  
cur Chri-  
stus dicatur  
Emmanuel

ORATIO

De predestinatione

Non enim saluantur aut damnantur homines absoluto quodam amore, vel odio Dei, cui hos vel illos immutabili & imperscrutabili quodam consilio destinauerint tabulae Dei fatales. Annon Crocodili lacrymae essent, quas profudit Christus in conspectu urbis, cum diceret: o quoties volui te congregare, sed noluisti, si interim ipse noluit, aut non serio voluit, ut Iudaei conuerterentur & viuerent?

Obiectio  
1. cum rei  
sponse.

Eidem Dei donum esse ambabus manibus amplectimur, sed ita, ne excludantur media, verbum & sacramenta per quae illud donum Dei nobis communicatur. Nam & panem quotidianum ita Dei gratuitum donum esse, nemo inficias ire potest, ut interim non, nisi per labore & sudorem, acquiri possit. Et sicut Emmanuel benedicit laboribus manuum nostrarum: ita, nisi ipse adesset Ministerio, frustra institueretur verbi predicatio.

Obiectio  
2. cum rei  
sponse.

Verum etiam est, Deum nos ab aeterno elegisse, sed scriptura testatur, hoc factum esse in dilecto, qui non nisi fide apprehendi potest. Sic ergo elegit Deus homines, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Magnum fuit delirium cuiusdam auctoris, qui

## DE EMMANVELE.

qui edidit librum, in quo omnium religionum homines saluari docet, eosq; comparat aurigis, qui ex diversis vijs in uno oppido vel foro conveniunt: Sicut etiam Erasmus Ciceronem salvatum esse docet, in praefatione super Tusculanas quaestiones; Zwinglius item, & Benedictus Arias Montanus, & alij, Ethnicos saniores beatos esse, pronunciant. Huic rei valde cognatum est et illud, quasi Deus iam olim in consilio quodam arcano omnes homines siue credituros, siue non credituros in Christum, ad vitam aeternam ordinavit, ita ut actu omnes sint in gratia Dei, & in numero dilectorum, electorum, sanctificatorum, filiorum & heredum Dei, & omnes retineant haec splendida nomina, si tandem vera fide credant in Christum; reliqui vero, & quidem maxima hominum pars nomina ista amittat, & se iterum excludat ex numero ad vitam aeternam, ante omnem creationem, & extra omnem fidei respectum, ordinatorum, si tandem in Christum non credant. Dilexit quidem Deus totum mundum, ut Filium suum unigenitum daret, sed tamen ita, ut saltem omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam, & ut omnis, qui non credit, iam modo sit iudicatus.

G Qui-

## ORATIO

Quicumque igitur saluantur, illi gratis sine omnibus operibus diliguntur & eliguntur, verum dilectione & electione non absoluta, seu ex nuda voluntate eligentis sine merito Christi, sed ut Ephes. 1. dicitur, in dilecto, siquidem extra dilectum nulla est dilectio, nulla etiam electio vel cogitanda vel statuenda. Deus enim absque illo respectu & intuitu intercessionis, meriti, & satisfactionis Christi Emmanuelis peccatores nec diligit nec eligit.

Cum autem meritum & satisfactionem Christi, tanquam unicum medium reconciliationis & electionis nostrae, relative respiciat & complectatur fides, sine qua impossibile est placere Deo; ideo eligimur quidem propter Christum, sed tamen ita, ne correlativi seu fidei respectus omni plane ratione ab Electionis consideratione remoueat.

Caussa,  
ur Chris  
bus dicat  
ur Emma  
uel.

Sed ut ad finem suum iam tandem decurrat Oratio, nemo non intelligit, etiam dici Christum Emmanuelem, quia in sacramentis sese nobis communicat.

Sicut enim per verbum accendit Spiritus sanctus in audientibus fidem, non magicam, sed liberrimam dispositione & mediante fide illis communicat & applicat.

## DE EMMANVELE.

plicat eternam salutem: ita interueniente baptismo <sup>De bap-  
tismo.</sup> Christus fidē in infantibus suo modo verē excitat, & per accensam fidem operatur eorum regenerationem & eternam salutem, non ex magicā vel idololatricā vel aqua inclusa aliqua virtute, sed ex liberrimā presentia & voluntate sua, quā ipsi placuit regni sui thesauros, vasculis eiusmodi terrenis offerre, & per corporea symbola exhibere & applicare celestia beneficia, ut ex aqua & spiritu nos regeneret, & per lauacrum aqua in verbo sanctificet Ecclesiam suam, & per hoc lauacrū regenerationis nos saluos faciat.

Hac ratione Lutherus dicit, baptismum esse merum sanguinem Christi, & ignem Spiritus sancti, ita ut Christus in baptismo nos per sanguinem suum abluat & sanctificet, sed Spiritus Sanctus splendore & calore suo nos illuminet & viuificet.

Atque hoc pacto baptismus omnibus ad salutem est necessarius, iuxta perspicuum dictum: Nisi quis regeneratus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum cælorum. Cum autem infantibus regnum cælorum adimere nec possimus nec debeamus, iccirco per baptismum eos regenerari certò statuamus.

## O R A T I O

Illustrissimum est Pauli testimoniū, quòd omnes, quicumq; baptizati sunt, Christum induerint, id quod absque communicatione fidei, & absq; regeneratione in baptismo factū, fieri non potest, non quasi Deus ita absolutè esset ad hoc suum medium alligatus, ut absque eo in casu necessitatis & priuationis infantibus, quibus baptismus contingere nequit, renouationem operari non posset, sed quia ipsi visum est hoc pacto in pueris, qui omnes in peccatis concipiuntur, & nascuntur filij iræ, & sunt naturā immundi & alieni à Deo, efficere fidem & salutem aeternam; imò etiam in adultis, nisi vel peccatis suis enormibus, vel delitescente in animis hypocrisi, vel contumaciā seipsos priuent.

Nullò enim modo baptismus tantum est externum signum, quod conferretur nouo tyroni, qui iam suum nomen dat militia Christiana, neque est vacuum sacramentum, neque tantum significat vitæ nouitatem vel renouationem, sed reuera est lavacrum regenerationis, ac illā ipsā actione offert & exhibet ipsum Christi sanguinem cum omnibus suis meritis.

De cenā  
Domini.

In sacrā verò cenā mediantibus externis symbolis



DE EMMANVELE.

bolis panis et vini, nobis communicat Christus corpus  
et sanguinem suum, nosque tanquam surculos sibi in-  
serit, ut ab eo toti pēdeamus, gestemur, vivificemur,  
et sanctificemur. Non enim, quod Sacramenta-  
rij volunt, tantum panis et vinum nobis offertur in  
cœnâ, nec panis et vinum est tantum figura, sym-  
bolum, et typus, ac qualiscunq; similitudo corporis  
et sanguinis Christi, nec cœnâ Domini est tantum  
externum signum professionis, distinguens Christia-  
nos ab aliarum religionum hominibus.

Deinde edere corpus Domini et bibere sangui-  
nem eius in cœnâ non est idem, quod credere, nos me-  
rito et passione et morte Christi à peccatis, à pote-  
state mortis et Diaboli redemptos, et in regnum fi-  
liorum Dei translatos esse, neque idem, quod parti-  
cipem fieri Spiritus et virtutis carnis et sanguinis  
Christi, neque etiam idem, quod nudâ et solâ cogni-  
tione et imaginatione fidei apprehendere Christum.

Nam præterquam quòd clarissima verba et i-  
pse scopus institutionis aliud sibi volunt, etiam ne-  
cesse est, esse differentiam aliquã ουσατικὴν καὶ διαφετικὴν,  
et necesse est, esse aliquid proprium in cœnâ, quod nul-  
lis alijs actionibus Ecclesiasticis competere possit. In

ORATIO

cenā domesticā piorum hominum multi de uno pane participamus, & cum gratiarum actione meminimus beneficiorum Christi, quod fide saluemur, et adhaerescamus Christo; pijs itē colloquijs de Christo fidem alij aliorum mutuō confirmamus. Licet autem sine fide non sit salutaris usus huius sacratissimi epuli, tamen fides etiam in auscultatione & meditatione concionum verbi simili modo meritum & beneficia Christi sibi applicat. Necesse etiam est, esse aliquid, quo agnus & poculum Paschatis Iudaeici distinguatur à pane & poculo cenae Domini.

Utrum Patres idem nobiscum comederint & biberint.

Quod autem Apostolus ad Corinthios de Patribus veteris Testamenti loquens dicit, omnes quidem eundem cibum spiritualem comedisse, & omnes quidem eundem potum spiritualem bibisse, nempe ex spirituali sequente Petra, & tamen plerosque propter incredulitatem fuisse deletos in deserto, illud non ita accipi potest, quasi omnes nobiscum, qui vivimus in nouo Testamento, eundem cibum ac potum percepissent. Nam & vocabulum Nobiscum in textu expressum non reperimus, & fit ibi collatio nō in sacramentis, sed in poenis peccatorum, quod sicut Deus puniuit scortationes illorum, ita quoque sit castigatu-

DE EMMANUELE.

gaturus libidines nostrorum hominum; denique proximè antecedentia de baptismo maris & nubis, non nisi ad solos Patres veteris Testamenti possunt restringi.

Præterea sicut nemo vesci & nutriri dicitur pane, cuius saltem odorem percipit: ita nisi ipsum corpus & ipsum sanguinem Domini perceperimus, spiritali fame nobis extabescendum esset.

Etsi autem grauib; argumentis conuicti verba cœna simpliciter & iuxta litteram, uti sonant, intelligenda esse fatemur: tamen quando de integra propositione queritur, libenter largimur, panem nec propriè nec substantialiter corpus Christi esse, et quidem panem non esse conuersum in corpus Christi: neque etiam Physico & crasso modo somniamus, aut fieri ascensum & descensum quendam corporis Christi; aut pani velintus inclusum esse, vel foris alligatum; aut aliàs eidem localiter assistere corpus Christi; aut fieri diuulsionem & effusionem sanguinis à corpore & ex corpore Christi.

Execramur etiam Capernaiticas opiniones, quasi dentibus cõminuendum, et frustatim consumendum sit corpus Domini, sicut fit in cibis quotidianis:

Sed

ORATIO

Sed cum testamentum Filij Dei disertis & perspicuis verbis affirmet, in cœnâ non tantum esse divinitatem, aut virtutem aliquam, aut memoriam, sed ipsum corpus & sanguinem Christi, & quidem corporaliter, ut loquitur Augustana Confessionis Apologia, vel, ut Lutherus interpretatur, definitivè, hoc est, non fictitiè, sed verè: iccirco piè credimus, nos unâ cum pane manducare ipsum corpus, & unâ cum vino bibere ipsum sanguinem Christi, non tamen iuxta crassas atq; sensibiles rationes, sed secundum modum cœlestem, & secundum modum unionis sacramentalis.

Quod enim Paulus dicit, panem esse communicationem corporis Christi, manifestè docet, fieri unionem panis & corporis, non Physicam vel localem, neque etiam imaginariam, & nudè tropicam, vel scheticam, sed veram & realem, & quidem mysticam & sacramentalem, hoc est, talem, quâ Christus non extra manducationem, sed in ipsa manducatione, non panem consecratum absque corpore, neq; etiam corpus absque pane nobis communicat, sed cum pane & vino tanquam medijs, & parte sacramenti alterâ, terrenâ, nobis dat ipsam rem sacramenti, tanquam partem

Unio sacra-  
mentalis  
quid.

DE EMMANUELE.

partem cœlestem, idq; non separabili, & diuisâ, sed inseparabili, unâ & indiuisâ & coniunctâ summatione.

Mediante igitur pane sanctissimum suum corpus nobis manducandum præbet, & mediante vino bibendum pretiosum suum sanguinem, cuius una guttula sufficit pro redemptione totius mundi, etiam si mille essent mundi, ut piè scribit Bernhardus.

Bernhardus.

Quemadmodum verò modus unionis panis cum corpore Christi non est localis, aut Physicus, aut naturalis, aut Capernaiticus: ita quoque ore quidem edimus & bibimus, panem, vinum, corpus & sanguinem Christi, sed tamen oralis illa manducatio & bibitio corporis & sanguinis non est localis, non Physica, non Capernaitica, non naturalis, & tamen vera seu realis, non imaginaria & nudè schetica & relativa, quia manducamus corpus Christi non immediatè & primariò, sed mediante Sacramentali unione corporis Christi cū pane, ac sanguinis Christi cum vino, & ita consequenter seu secundariò, non crassè, sed iuxta modum unionis sacramentalis in mysterio, & tamen verè.

Modus manducationis & bibitionis corporis & sanguinis Christi.

Edimus autem corpus, & bibimus sanguinem

H Christi

ORATIO

Christi tum digni, tum indigni, quia dignitas & indignitas hominum non potest Dei institutionem infringere, & propter unionem sacramentalem necesse est, ut percipiens panem etiam percipiat illud, quod pani est in ipsa manducatione unitum.

Testimonium  
Cyrilli.

Rectè igitur dicit Cyrillus, Christum non tantum esse in nobis habitudine, sed etiam participatione naturali, & hoc etiã est, quod pia vetustas passim ex hac manducatione & bibitione probat, carnem nostram in ultimo die ex sepulcro prodituram, et incorruptibilem atq; immortalẽ futuram esse, quod non sola anima, sed nostrum quoque corpus cœlestẽ illud epulum & nutrimentum, tanquam pignus quoddam immortalitatis, in cœna acceperit.

Et hoc verè magnum est Emmanuelis beneficium, quod firmã fide amplecti debemus, eoque uti ad fidelem recordationem & memoriã incarnationis, supplicij & mortis, & omnium aliorum beneficiorum in nobis alendam, ad promissiones remissionis peccatorum nobis applicandas, ad confirmationem imbecillis nostræ fidei, ad consolationem consternata

## DE EMMANUELE.

nata conscientia, ad excutiendum veterum securi-  
tatis, ad accendendam gratiarum actionem pro o-  
mnibus eius beneficijs, ad proximi sinceram dilecti-  
onem, & inprimis ad obedientiam erga Deum ex-  
uscitandam & augendam.

Tempus non patitur, me aliquid addere de ma-  
ximâ letitiâ, quam ex incarnatione Emmanuelis  
omnes pij accipiunt.

De gaudij  
exortis ex  
incarnatio-  
ne Christi.

Si valdè gaudent homines, quando in tenebris  
& densâ caligine noctis, ex improviso & ex inspera-  
to, lumen aliquod conspiciunt, vel quando ex cacita-  
te visum recipiunt: multo magis nos exultare decet  
et letari, quia habitantibus in regione umbræ mor-  
tis lux orta est, & nos tanquam populus, quiambu-  
labat in tenebris, vidimus lucem magnam, stellam  
Iacob, Solem justitiæ, luminare gentium, lucem, quæ  
illuminat omnem hominem, venientem in hunc  
mundum.

Atque si vehementem letitiam capimus, quan-  
do amissa bona præter omnem spem & expectatio-  
nē inuenimus, sicut muliercula inueniens amissam  
drachmā exclamat: Congratulamini mihi, quia in-  
ueni drachmā, quam perdideram: multo magis nos

## ORATIO

*cum Angelis canere debemus: Gloria in excelsis Deo, quia gratiam Dei, Spiritum sanctum & vitam aeternam per lapsum amissam, per Christum recuperamus.*

*Si magnum gaudium capiunt subditi, quando principum familia augetur nouâ sobole, de qua concipiunt spem pro conseruandâ vel recuperandâ libertate patria: longè rectius nobis angelus dixit: Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator.*

Admonitio

*Sicut autem Iacob Patriarcha non poterat consequi benedictionem à patre Isaac, nisi indueret manum hirsutam, similem hirsutæ manui fratris Esau: ita nisi Emmanuelis iustitiam, nobis acquisitam, verâ fide nobis applicauerimus, aeternam benedictionem consequi, & saluari, non possumus. Sicut etiam nemini licebat olim aliquid petere à regibus, nisi in vestitu honestiore, ut apparet ex historiâ Esther & Mardochei: ita in conspectum cœlestis regis tibi prodire non licet sine verâ fide, quæ sola est vestis nuptialis, sine quâ impossibile est placere sponso.*

Precatio

*Vt igitur alijs temporibus, ita quoque nunc vniuersi*



## DE EMMANUELE.

niuersi & singuli coniunctis & ardentissimis votis  
& suspirijs, ex verà fide profectis, iterū oremus a ter-  
num Emmanuelem, Dominum nostrum Iesum Chri-  
stū, sedentem ad dextram aeterni Patris sui. & dona  
distribuentem hominibus, ut ipse tanquam Ange-  
lus magni consilij, tanquam Dominus Zebaoth,  
tanquam Michaël Archangelus, tanquam Dux a-  
gminum caelestium & angelicorum, his periculosissi-  
mis annis Ecclesiam, & Ecclesiae Mecœnates, con-  
silio & auxilio suo contra Turcas, & alios hostes  
adiuet; ipse egrediatur cum exercitibus nostris,  
ipse stet in excubijs pro filijs populi sui, ipse pugnet  
pro nobis & pro montibus Israëlis, ipse turbet &  
persequatur in irâ inimicos, ut erubescant & con-  
fundantur, & pereant. Ipse etiam veram doctri-  
nam in nostris Scholis & Ecclesijs, contra quasuis,  
tū Calvinianorum & Pontificiorum, tū Ari-  
anorum & Iudæorum, tū etiam omnium aliorum  
schismaticorum & hereticorum corruptelas conser-  
uet, & eam in singulorum piorum pectoribus obsi-  
gnet, nosq; suo verbo regat & sanctificet, & ita si-  
bi inter nos colligat veram Ecclesiam, tueatur alue-  
olos docentium & discipulorum, & nos omnes ita gu-  
bernet,

ORATIO DE EMMANUELE.

bernet, ut ipsi grata dicamus, & grata faciamus,  
& ut plantemus cœlos, ut ita verè gloria inhabitet  
in terrâ nostrâ, misericordia & veritas sibi ob-  
uiant, iustitia & pax sese mutuò osculentur, & sub  
dulcissimâ pace floreat Scholæ & Ecclesiæ & poli-  
tia, & nos in pace & veritate consenescamus, & i-  
psam cum Patre & Spiritu sancto, tam in hac,  
quàm in alterâ vitâ, sine fine laudemus,  
sine furo inuocemus, & sine defati-  
gatione celebremus.

D I X I.



ERRATA.

- A. 2. pro Et tum alijs & tum ipsis, lege, & tum alijs, tum ipsis.  
C. 1. in margine pro Cabulæ, lege, Cabalæ.  
H. 3. lin. 1. pro ardentissimus, lege, ardentissimis.  
Cætera, si quæ occurrerint, prudens lector ipse corriget.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBER-  
GENSIS, IOHANNES IESSENIUS à IESSEN,  
Doctor, Illustrissimorum Ducum Saxoniae  
Medicus, & Professor.



Venlibet meritò officij sui temporis ipsa ratio commo-  
nefacit. Versamur iam in eâ anni parte, quæ omnium de-  
terrima, frigore & prolixioribus tenebris nobis molesta,  
incommodaque. Tam nihil nunc in agris formosi, tam e-  
mortua & inamœna spectantur omnia. Desinit hinc in no-  
bis ipsis corporis vigor, solitaq; mentis alacritas. Spes equidem fouet,  
paulò post reuersurum ad nos Solem, & vnâ, quæ suo in genere sin-  
gula homini solent esse quàm gratissima. Verùm vincit hæc cuncta  
dulcissima illa, ad quam solenniter nos accingimus, natiuitatis Do-  
minicæ sacrosancta recordatio, quo cœlesti partu, quæ culpa nobis in-  
terciderant propriâ, perfectissimè instaurata sunt vniuersa. Felicitez  
igitur natum illum, qui se ideo, vt admirabile hoc, & in hac vita im-  
peruestigabile mysterium, Creatoris cum creatura æternum posthac  
confortium, diligenter & assiduè cogitandum suscipiat, eandemq; me-  
ditationem alijs sollicitè persuadeat, conditum arbitratur. Quare hoc  
tempore facturus operæpreium mihi videtur Reuerendus & doctissi-  
mus vir, Dominus VVOLFGANGVS FRANZIVS, S. S. Theol.  
Licent. qui de doctrinâ, personâ & officijs Domini nostri Iesu Christi  
comprobatam à Theologica facultate Orationem cras hora IX. in pa-  
tentiore collegij noui auditorio habiturus est. Hanc nō solùm auribus,  
sed & mente dignam auscultatum nostri ordinis frequentes conueni-  
re, & pro hac Christi vnici Pontificis nostri libera confessione Deo, o-  
rij huius auctori, gratos esse, vnice maximeq; decebit; Sed & simul  
recordari, quæ olim sub Tyrannis Christi Professorum fuerit conditio  
quàm Neronis & Domitiani & aliorum alastorum seculis in hoc, sine  
loci, sexus aut ætatis distinctione, omni suppliciorū genere immaniter  
fauitum; quid item nobis inter Turcas, & qui his perniciosiores, hæ-  
reticos constitutis sperandum, quorum alteri in seruitutem, in perpetuâ  
animarum miseriam alteri, nos asserere conantur. Hæc quiferiò exa-  
minabunt, scio præsentis temporis & tot imminentium discriminum  
penitatione emendatiùs victuros. P. P. 8. Decemb. Anno Chri-  
sti 1597.

INSTITUT DER AKADEMIE  
PHILIPPUS 1822  
Medizinische Fakultät  
Vorbereitung eines  
Vortrags über die  
Lehre von der  
Incontinentia Urinae  
am 18ten  
April 1822  
Vortragender  
Dr. med. phil.  
Johann  
Friedrich  
Schäfer  
1822





26



94 A 7382

ULB Halle  
002 183 692

3



TR → OL


VD 17

21.7.99 Od.









ORATIO  
CVR DOMINVS NO,  
STER IESVS CHRI,  
stus fit vocatus Em-  
manuel;

*Quam*  
IN ACADEMIA VVITEBERGENSI  
A.D.9. Decemb. Anno Christi 1597.  
publicè recitavit

VVOLF GANGVS FRANZIVS, PLAVENSIS,  
SS. Theologiae Licentiatus.



VVITEBERGÆ  
Typis & sumptu Simonis Gronenbergij,  
M. D. XCVIII.